



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Generalibus Principiis Amoris Et Morum - Prolegomena septem,
Librosque undecim complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput V. Peccata non diversificantur specie secundùm differentiam
præceptorum, si de una eademque re sint, sub eodem motivo formali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73187](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73187)

ti alterius rationis, seu essentiae; sed furti alterius quantitatis dumtaxat. Certum quippe est prudentes, seu Doctores communiter ita sentire, nec minus certum singularem solius obijcientis aestimationem in contrarium, communem non esse prudentem aestimationem; nec ipsum solum esse prudentem; nec communitatem ceterorum esse imprudentem.

CAPUT V.

Peccata non diversificantur specie secundum differentiam praeceptorum, si de una eademque re sint, sub eodem motivo formali.

- 37 **P**Robatur 1^o. ex S. Thoma q. 2. de malo a. 6. *Nec est dicendum quod differant specie secundum differentiam virtutum: quia praecepta ad hoc sunt, ut secundum virtutem operentur, & peccata vitentur.* Et 1. 2. q. 76. a. 5. ad 3. *Secundum diversa praecepta legis non diversificantur peccata secundum speciem.*
- 38 2^o. Ubi idem motivum formale actus debiti, non est cur diversitas praeceptorum inducat diversam specie difformitatem ad legem aeternam. Nec proinde cur omittens Sacramentum die Dominico, in quem incidit festum S. Petri v. g. peccet plusquam uno specie vel numero peccato. Et idem est de violante jejunium feria sexta quatuor temporum, in quam incidit vigilia S. Matthaei. Cum utriusque praeceptum sit de eadem re, sub eodem motivo. Ita Doctores communiter.
- 39 Violatio quidem jejunii, ad quod tenetur quis ex praecepto Ecclesiae, simul & praecepto Confessarii, imponentis illud in poenitentiam, est duplex specie peccatum. Sed hoc ideo, quia Ecclesia & Confessarius praecipunt illud sub duplici specie motivo, Ecclesia ex motivo temperantiae, Confessarius ex motivo poenitentiae; sicque violatio illa, quatenus contra praeceptum Ecclesiae, est contra temperantiam; quatenus contra praeceptum Confessarii, est contra poenitentiam.
- 40 Hinc etiam Minimus violans abstinenciam feria 6. peccat duplici specie peccato; utique contra temperantiam ratione praecepti Ecclesiae, & contra religionem ratione voti vitae quadragesimalis.
- 41 De aliis Religiosis, v. g. Franciscanis, qui feria 6. vi regulae suae, simul & praecepti Ecclesiae, sub mortali tenentur ad abstinenciam, major est difficultas, an peccent duplici specie peccato: & videtur aliquibus quod sic: quia censent eos hoc ipso violatores voti, quo violatores sunt regulae: utpote quam putant non obligare sub mortali, nisi ratione voti.
- 42 Sed licet haec ratio locum habere possit in Religiosis voventibus observantiam regulae; non videtur habere locum in Religiosis solum voventibus obedientiam secundum regulam: utpote qui non tenentur ad omnia regulae puncta tanquam materiam voti; sed sicut regula & religio ab ipsis exigit. Unde si regula & re-

ligio solum ab ipsis exigit abstinenciam ex motivo temperantiae (prout Ecclesia) violando abstinenciam, solum peccant contra abstinenciam. Quod si dubium sit, an regula abstinenciam exigit alio ex motivo, seu intentione, quam Ecclesia: eo in dubio (nisi communis sensus religionis obster) diversa intentio non videtur praesumenda; cum sit res facti, quod in dubio non praesumitur.

CAPUT VI.

Specifica peccatorum distinctio; formaliter ut peccata sunt, petitur ex specifica distinctione privationum, in quibus formalis eorum malitia consistit. Haec vero dignoscitur ex specifica diversitate debitarum perfectionum, quarum sunt privationes, pro quanto videlicet, vel spectant ad diversas specie virtutes, vel ad oppositos modos, aut alias circumstantias specie diversas ejusdem virtutis.

HAnc tradit resolutus Doctor noster Baccotius in 2. dist. 39. a. 3. & cum eo Doctores communiter, qui formale peccati, cum Scriptura & Patribus (alibi referendis) constituunt in privatione rectitudinis, seu perfectionis debita per legem. Et ratio est, quia si peccatum, formaliter sumptum, id est pro formali ratione peccati, nihil aliud est, nisi privatio rectitudinis, seu perfectionis actualis debita per legem: igitur pro specifica diversitate privationum debita rectitudinis, &c. peccata formaliter sumpta, specie diversificantur. Atqui specifica diversitas privationum dignoscitur ex specifica diversitate formarum, quarum sunt privationes. Igitur specifica diversitas peccatorum formaliter sumptorum, dignoscitur ex specifica diversitate debitarum perfectionum, seu rectitudinum actualium, ut supra.

Et perfectiones quidem spectantes ad diversas specie virtutes, specie diversas esse, per se manifestum est: cum virtutes specie diversae esse non possint, nisi perfectiones, quibus constituuntur, sint specie diversae.

Nec tamen solae perfectiones, spectantes ad diversas specie virtutes, specie diversae sunt: cum ad eandem virtutem, v. g. liberalitatem, spectent modi perfectionis specie diversi, quorum uno v. g. cavetur excessus, altero cavetur defectus debita liberalitatis. Nec diversitas illa modorum, seu circumstantiarum, solum accidit penes duo opposita extrema; quae illa virtus cavenda praescribit; verum etiam penes diversos specie actus, quibus receditur ab uno illorum extremorum. Contingit namque eandem virtutem, justitiae v. g. diversis specie actibus cavere recessum a medio justitiae per defectum. Est enim alius specie actus, quo illam servamus vitam proximi; alius quo famam; alius quo bona fortunae (licet omnes isti actus spectent ad eandem justitiae virtutem, quatenus caventem recessum a medio justitiae per defectum) eo quod utique vi-